



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm  
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post  
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.  
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

**Quaranta, Stefano**

**Venetiis, 1619**

Contractus censualis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10793**

prohibitionem de facto iniri fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem constitutionem nostram damnatis, & reprobatis, etiam si iuramento aut in forma Camere Apostolicæ, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut personalem, nec iudicis officium, neque aliud quodcumque ius cuiquam competere, neque quo ad sortem seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quo ad certas summas, & quantitates in singulos annos, aut menses, lacri socialis nomine promissas. Si qui vero in posterum sub prædictis conditionibus & pactis contrahere temere presumpserit, aut prætextu similium contractuum, conventionum, & pactuum societatis nomine initorum, qui huc usque durant, ad exactionem dictæ sortis, seu Capitalis, siue illius pretij, & valoris, postquam illud in toto vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certa summa, vel quantitatis annua, qui mensura sibi promissa in futurum procedere ausi fuerint, eos uniuersos, & singulos in penas contra manifestos usurarios, & sceneratores a sacris, canonicis, & Concilijs generalibus latas, & promulgatas eo ipso incurrere, & contra illos uti manifestos usurarios, & sceneratores, via iuris, aliisque opportunis remedijs procedi posse, & debere: sicque omnibus, &c.

CONTRACTVS CENSVALIS.

**P**RÆTER summittas sciendum est, quod ultra extrauag. communes Martini V. & Calixti in tit. de e. n. p. & vendi. super annuorum censuum emptio ne, & venditione confirmatas per Paul. 5. fol. 411. in Bullatio habemus Constitutiones Nicolai v. Pij. v. & Greg. xij. Nicolai v. est tenoris sequenti in Bullatio fol. 71.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

**S**ollicitudo Pastoralis officij nos nostra prouidentia pulsare non desinit, ut in-  
demnitati, & sicuti prospero fidelis populi cura nostra calitus commissi, iuris  
moderando rigorem per optima prouisionis remedia, quantum ex alio nobis permit-  
titur, salubriter consulamus sane (sicut fide dignorum relatione audiuimus) in regno  
Sicilia, ac certis alijs dominij, & terris carissimi filij nostri Alphonsi Arragonie,  
& reuisque Sicilia Regis Illustris, auaritia cecitas, & damnanda ambitionis im-  
probitas, quorundam oculos adeo excæcauit, usurariaque prauitas illis in partibus  
tantum excreuit, quod incolæ & habitantes partium illarum pecunijs indigentes  
eas vix, aliter quam feneratorum opera (quasi mandatum scenus exercentium)  
cõsequi possunt, & cū eas acceperint si in tempore percepta non restituant breui eo-  
rum bona insatiabili usurarum voragine miserabiliter consumuntur, & quod in do-  
minijs, & terris ipsius Regis ultra montes constitutis, videlicet in Regnis Arrago-  
nie, Valentie, & Maioricarum ac principatu Cathalonie, & Comitatibus Rossilionis,  
& Ceritanie, vniuersitates, & singulares persone tam ecclesiasticæ, quàm seculares  
huiusmodi pecunijs indigentes, ut cū minori incommodo etiã habere possint, per ven-  
ditiones annualium censualium, (que mortua nuncupantur) super domib. possessioni-  
bus, & proprietatib. specialiter, vel etiã generaliter super omnibus bonis, redditu-  
bus, & emolumentis, iurib. & rebus eorum (mediante tamen instrumento, gratia redi-  
mendi onera eorum) sibi ut plurimum prospicere, & consulere consueuerunt. Quod

Con-  
gruit  
tit. de  
empt.  
& va-  
ditio.



in predictis eiusdem regni partibus, & Regnis ultra montes constitutis, non solum in longam consuetudinem (de cuius contrario memoria hominum non existit.) more utentium deductum est, sed etiam per municipalia huiusmodi Regnorum, & parvium iura per Regem ipsum seu eius predecessorem, cum consensu trium brachiorum (videlicet ecclesiastici militaris, & Regalis) promulgata specialiter confirmatur. Cum itaque multis incolis & habitatoribus partium & dominiorum eiusdem Regnis ultra montes constitutorum indigentibus per huiusmodi censualium venditiones subueniri, ipsique feneratorum usuris eximi possint, sed quia in hoc pecunijs abundantes dubitant usurariam prauitatem committere, & sic eisdem indigentibus, more premissis succurrere formidant in indigentium detrimentum, & feneratorum quorundam euidentis incrementum pro parte eiusdem Regis asserētis se & subditos serenitatis suae, quam plures grauium usurarum voraginibus magnis hactenus pecunijs exhaustos existere, alios quoque indies pecunijs egentes fenore magis, atque magis opprimi & vexari. Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis paterno compatiens affectu, in primis de opportuna prouisionis opere succurrere, praefatasque censualium venditiones cum clausulis, & cautionibus ad earum ualitudinem inter uenditores, & emptores, mutuo consensu, ineundis, absque lesione conscientiae in Regnis Siciliae circa, & ultra Pharium fieri posse discernere, & declarare, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur pro debito Pastoralis ministerii nobis Diuinitus iniuncti, super his salubriter prouidere ac statui, & indemnitatibus incolarum, & habitatorum Regnorum & terrarum dicti Regis circa montes constitutorum, presentium, & futurorum, quantum cum Deo possumus subuenire cupientes, & attendentes, quod clero terrarum, & dominiorum ipsius Regis circa montes constitutorum, in suis olim indigentibus, per venditiones praedictorum censualium, auctoritate Apostolica pluries consultum & prouisum fuit; praefati Regis in hac parte supplicationibus inclinati, tam eidem Regi, quam huiusmodi Regnorum Siciliae circa, & ultra Pharium omnibus, & singulis incolis, habitatoribus, ac locorum ciuitatum, & terrarum uersitatibus, presentibus & futuris huiusmodi censualia super rebus, & proprietatibus suis, ac facultatibus, & emolumentis eorundem instrumento gratiae pro consimili pretio illa redimendi mediante (dummodo annualis census huiusmodi censualium decimam partem principalis recepti seu pretij eorundem, non excedat) inter se contrahendi, & emendi cum opportuna contrahentium securitate, tuitione, & indemnitate, ac cum potestate uendentes personas, eorumque proprietates, redditus, iussa, iurisdictiones, sensus, ac omnia, & singula mobilia & immobilia bona obligandi, & obligari faciendi ac etiam quascunque alias obligationes, & submissiones cuiuscunque foro, nec non renuntiationes, promissiones, stipulationes, poenis, iuramentis, & alijs cautionibus uallatas, & alia quaecunque de quibus inter ementes & uendentes huiusmodi censualia conuentum & in pactum deductum fuerit, plenam licentiam, & liberam auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus facultatem, decernentes, & declarantes eosdem incolas, & habitatores, ac ciuitatum, & terrarum uersitates censualia praedicta modo praemisso in Regnis ipsis, Siciliae circa, & ultra Pharium libere, & licite contrahere, ac emere & uendere posse, neque propterea usurariam prauitatem committere (dummodo alias quam ut praemittitur, quodlibet annuum censuale decimam partem recepti, seu pretij uenditionis ipsius non excedat, & pensionibus, seu annualitatibus illorum in sortem non computatis, pro tota redemptione, praeter principalem summam, nihil ultra percipiat ab emptore, uel exhibeatur a uenditore, non obstantibus, &c. Datum Romae apud Sanctum Petrum, &c. Anno incarnationis Dominicae Millesimo, Quadragesimo secundo pridie Kal. Octob. Que.



Que etiam est impressa inter Pragmat. Regni Neap. ac eam commentauit Per. Foller. in praxi censuali, & vide Ioan. Bapt. Lup. in l. 2. C. de pact. inter empt. & vend. §. 2.

Constitutio Pii V. super forma creandi census fuit Romæ publicata die 29. Ian. 1569. fol. 1042. in Bull. incip. Cum onus, & infra.

Hac igitur nostra constitutione statuimus censum seu annum redditum creari, constituiue nullo modo posse, nisi re immobili, aut qua pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & que nominatim certis finibus designata sit. Rursum nisi vere in pecunia numerata, presentibus testibus ac Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro iustoque pretio Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant fieri, aut in pactum deduci prohibemus. Conuentiones directe aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non teneatur, nullo modo valere volumus. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultate alienandi re censui subposita, quia volumus rem ipsam semper, & libere, ac sine solutione laudemij seu quinquagesima, aut alterius quantitatis, vel rei, sam inter viuos, quam in vltima voluntate alienari. Vbi autem vendenda sit, volumus Dominium census alijs omnibus preferri, eiq; denunciari conditiones, quibus vendenda sit, & per mensem expectari. Pacta continentia morosum census debito rem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium seu certas expensas, aut certas salaria seu expensas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem censui subiectam, siue aliquam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu, siue aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam penam cadere, ex toto irrita sint, & nulla. Imo, & censum augeri, & nouum creari super eadem, vel aliare in fauorem eiusdem, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri omnino prohibemus. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de iure, & ex natura contractus non spectaret. Postremo census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eadem pretio extingui non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, immo centum, & plurium annorum prescriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe, aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscunque verbis, aut clausulis, concepta sint. Cum vero traditione pretij redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciari ei, cui pretium dandum erit, & post denunciam, intra annum tamen, etiam ab inuito pretium repeti posse, & ubi pretium, nec volens, intra bimestre soluat, nec ab inuito intra annum exigatur, volumus nihilominus quocumque redditum extingui posse, præuia tamen semper denuncia de qua supra, & non obstantibus his de quibus supra, idq; obseruari mandamus, etiã quod pluries, ac pluries denunciatum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset. Pacta et continentia pretij census extra casum prædictum, ab inuito, aut ob penam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus. Contractusque sub alia forma, post hac celebrandos sanerattios indicamus. Et ita illis propterea non obstantibus, quicquid vel expresse, vel tacite contra hac nostra mandata dari remitti, aut dimitti contingat, a Fisco volumus posse vendicari. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu nouiter creato, verum etiam in creato quocumque tempore, alienando modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo, & in omnibus seruari volumus. Declarantes pretij semel censui constitutum, nunquam posse ob temporum aut contrahentium qualitatem seu aliud accidens, nec quo ad vltimo contrahentes minui vel augeri. Et licet legē ipsam



sam ad contractus iam celebrantes non extendamus, illos tamen omnes in quos sub alia forma peruenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus censu re bonorum religiosorum subijciant, & animarum saluti consulant. Non obstantibus, &c.

Hanc Constitutionem declarat Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 234. & Io. Lup. in d. l. 2. §. 2. num. 84. C. de pact. inter empr. & vend. Redoan. de rebus eccles. non alien. a fol. 101. vsque 109. & folio. 31. num. 15. eamque exponit etiam per singulas clausulas Ludou. Molin. de contract. disput. 380. cum plurib. seq.

**G**REGOR. XIII. Ad perpetuam rei memoriam, que a Romanis Pontificibus ad Regum supplicationem pro suorum utilitate Regnorum maxime ad tollendam peccati occasione matura deliberatione specialiter conceduntur, & longo usu recepta sunt, ut ea contrarijs generalibus Constitutionibus postea editis minime obstantibus, illibata seruentur, rationi valde conuenire videtur; Cum alias itaque, Nicolaus Quintus felix recordationis Prædecessor noster supplicationibus Alphonsi Glorioso memoria tunc Aragonie, & Sicilia Regis inclinatus, per suas literas, tam ipsi Regi, quam Regnorum Sicilia citra, & ultra Pharum, omnibus, & singulis incolis, & habitatoribus, ac locorum ciuitatum, & terrarum vniuersitatibus presentibus, & futuris, Cens super rebus, & proprietatibus suis, & facultatibus, & emolumentis, eorundem, Instrumento gratia pro consimili pretio, illa redimendi, median- tel, constituere, absque usuraria prauitatis incurfu concesserit, dummodo annualis census, decimam partem pretij non excedat, & alia decreuerit, ut latius in his literis continetur, qua recepta, & per ceterum, & ultra annos obseruata fuerunt, deinde de ro recolenda memoria Pius Quintus, etiam Prædecessor noster, cui suggestus fuit, multas in venditione, & emptione censuum, fraudes committi, multaq; pacta illicita ap- poni, literas ediderit, quib. illud in primis cauetur, ut census, non generaliter super omnibus bonis, sed specialiter super re certa imponatur, aliaque in eisdem ad iusti- tiam contractus minime necessaria constituerit, contractusque ipsos emptians, & venditionis censuum, suarum literarum forma non seruata, factos, feneratorios esse iudicauit, ut in ipsis plenius explicatur; Quas cum dilecti filij Regis Sicilia ultra Pharum Ministri debita cum reuerentia suscepissent, easq; exequutioni demandare, tanquam obedientia filij decreuissent, experientia compertum est, eas literas non sine maxima Regni illius perturbatione, & damno obseruari posse; Quare totius Regni predicti nomine, ad eundem Pium V. Prædecessorem nostrum, accessit dilectus filius Octavius Spinula Regni ipsius Magister Portulanus, qui multis difficultati- bus, & incommodis eidem Prædecessori propositis, nonnullas ab eo suarum literarum declarationes, & moderationes reportauit. Quas, ut Regni necessitatibus, minime satis facere comperit; Rursus Charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Catholicus, Regni sui indemnitati prospicere volens, tam suo, quam ipsius Regni no- mine venerabilem fratrem Iacobum Archiepiscopum Panormitanum de eo negotio optime instructo ad nostram presentiam mittere curauit, qui multis nobis representa- tis difficultatibus, qua in exequutione literarum Pij V. suboriuntur, & grauissi- mis totius Regni damnis, ex illarum obseruatione pronouentibus di, erite expositis, & diligenter enarratis; Humiliter tam Regis, quam ipsius Regni nomine, nobis sup- plicauit, ut illorum indemnitati de benignitate Apostolica prospicere dignaremur, quod nulla commendior ratione fieri posse videatur, quam si literæ Nicolai V. illas in Regno illo conseruarentur; Nos ipsarum literarum tenoribus diligenter cōside-  
ratis,



ratis, & re mature discussa, cum litera Nicolai nihil in se contineant: quod a ratione sit alienū. diuque in Regno Sicilia predicto magna cum incolarum tranquillitate obseruata fuerunt, literas vero Pij Quinti tam primo, quam secundo, loco emanatas, eidem Regno minime expedire attestetur predictus Rex Catholicus, cui tanquam optimo Regi & diligenti Patrifamilias, in his, praesertim, quae suorum subditorum utilitatem concernunt omnino credendum esse duximus, supplicationibus predictis inclinari, ut tamen Regi ipsi, quae omnibus, & singulis Regni Siciliae ultra, Phariae incolis, & habitatoribus, & locorum ciuitatum, & terrarum, vniuersitatibus praesentibus, & futuris census iuxta Nicolai V. Constitutionem facere, emere, & vendere liceat, eosque sic constitutos census, validos, & licitos, non autem feneratorios esse perinde, ac si litera Pij V. predicti non emanassent: tenore praesentium Apostolica auctoritate concedimus, declaramus, & statuimus. Illud addentes, ut in censuum optione, & venditione, prius vnus vel plurium rerum certarum super qua, vel quibus, census suscipere constituitur expresse, & deinde si voluerint omnium bonorum in genere mentio fiat, quae admodum in censualibus contractibus huiusmodi in futurum in eo Regno celebrandis, & praeritis in quibus forte prius generalis, deinde specialis bonorum mentio facta est, quo ad hoc in suo robore permanentibus, et ineri, & quatenus opus sit, de nouo introducti, & obseruari praecipimus. Praeterea si qui abusus in contractibus predictis faciendis irreperint qui constitutioni Nicolai predicti aliqua ex parte aduersantur, vel facultatem redimendi censum, tam annualem, quam perpetuum iuxta dicti Nicolai, & Pij Quinti, literas esse decernimus, quam perpetuum iuxta dicti Nicolai, & Pij Quinti, literas esse decernimus, aliquo modo restringant eas omnes harum auctoritate literarum quas perpetuo valere volumus, abolemus, literis Pij V. & quatenus literis Nicolai V. aduersantur, vel aliud praeterea decernunt & aliis contrariis, quibuscunque non obstantibus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Ianuarii 1574. Anno secundo.

DATA ET PROMISSA PRO IUSTITIA, VEL GRATIA  
obtinenda a Sede Apostolica.

PRÆTER Summistas in uerbo excommunicatio sciendum est, qualiter per Greg. xiiij. fuit facta innouatio censurarum, & poenarum quas fel. recor. Bonifacius Papa viij. edidit contra paciscentes, seu dantes & accipientes, aut promittentes, & acceptantes pro expeditionibus gratiae, vel iustitiae, et ipsarum extensio, ut patet ex eius constitutione, publicata Romae die 8. Nouembris 1574. incip.

Cōgrua  
ut ti. de  
sen. ex  
com.

Ab ipso Pontificatus nostri principio quā maxime possumus enitimur, atque contendimus, ut domus & curia nostra a sordibus expurgetur. Cui salubris consilio incumbens fel. recor. Bonifacius Papa octauus excommunicauit, & anathematizauit omnes clericos, Religiosos, & laicos utriusque sexus, siue familiares curiae, siue undecunque alios qui aliquod pactum facerent seu quid paruum, vel magnū promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto vel promissione occulta, uel manifesta siue sub uerbis generalibus, & plene non expressis, siue specialibus & aperte expressis facta, quicquam darent, aut reciperent pro iustitia, siue gratia, siue pro se siue pro alio in causis, vel iudiciis seu alias per literas Apostolicas, & quibuscunque aliis modis

Extra  
uag. i.  
de sen.  
exco.